QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM

Die Iovis 15. Decembris.

M. PETRO LOMBARD, Doctore Medico, Præside.

Sunt-ne in Dysenterico Affectu Hypnotica Catharticis admiscenda?

I.

NATVRÆ præcipua circa nutritionem cura est, & quas utilissimo huic operi præfecit partes adeò diligit, ut vel leviter eas affici citra summum dolorem non ferat, & gravem totius naturalis œconomię perturbationem. Nam os ventriculi superius succi ferocioris acrimonia si mordet in Cardiogmo, statim corporis universi vires, aliàs integræ, concidunt, & ipse animus deficit. In cholerâ, ad ventriculum & intestina, non ex affectis visceribus expressæ modò, sed iis ipsis in partibus etiamnum genitæ putredinis impetus illicò vel citra febrem interimit. Lumbrici quos dulcioris alimoniæ vivax excitavit corruptio, non rarò sæva & terrifica pariunt syncopes, convulsionis, delirijque symptomata, qualia graviores morbi & ipsis principibus membris infensi non invehunt. Quin & plenioris sicut & extremi intestini affectus ipsi solâ doloris immanitate in magnos evadunt resolutionis membrorum & abscessuum morbos, dum ex spirituum dissipatione & corruptione quas acerbus & tristis sensus inferre consuevit, simul partibus imbecillitas & humoribus vitium infertur, & calamitosa illa oritur, inque omnem ferè viventis partis perniciem nata proclivitas ad excipiendum quidquid abs se validiores amandaverint. Sed inter cæteras nutritiorum viscerum noxas, Dysenteria quæ non-

574

nunquam ſuopte genio ſalutaris eſt, & ſolâ ſymptomatum atrocitate metuenda, Medicos monet, quàm ſolliciti eſſe debeant de ſublevandâ hacce maximâ oneris parte naturâ, quam & aliquando parum lædunt ſua mala, ſi ea ignoraverit.

II.

DYSENTERIA ab affectâ parte & ſymptomate nomen obtinuit. In eo quippe morbo vaſa coquendis, diſtribuendis, & expurgandis alimentis deſtinata vitiantur: tùm verò & domeſtici illius operis moderatrix illatam ſibi injuriam aut ſolâ excretione, aut etiam dolore ſignificat. Si enim non illaudatus ſanguis ob amputatam corporis portionem, aut intermiſſum aliquod exercitium, ſuppreſſamve ſolitam evacuationem hepate benè conſtituto, reſtagnans per circuitus liberaliter ad inteſtina devolvitur, ἐξερυθρὴν ſeu αἱματηρὰν procreat Dyſenteriam, doloris quidem omnis, non verò ſemper utilitatis expertem. Eſt etiam ubi abſque ſenſu, ſed non ſine periculo ſanguis dilutus excernitur loturæ carnium recèns mactatarum ſimilis, ἀτονίαν jecoris & illius σύντηξιν arguens. Sed utraque hæc Dyſenteria ſolâ effluentium humorum ratione nomen adepta, non germanam & integram exhibet affectus naturam, quam & longè aptius Romanorum vocabulum exprimit. Tormina enim vocant frequentem & dolorificam cruentorum & paucorum humorum dejectionem, cujus aſſiduitate inteſtina abraduntur, exulcerantur, & carunculas tandem mittunt. Cauſam ſi quæras, eam vel ex prægreſſi morbi veſtigiis invenies, vel ad humoris bilioſi & acris ferociam malignitatemve referes. His originem præbent prava vivendi ratio, ciborum acriorum aut facilè putreſcentium eſus, fructus immaturi aut præter modum aſſumpti, vinum meracum vel largiùs hauſtum, deleteria medicamenta, peſtilens & contagioſa aëris conſtitutio. Nam talibus de cauſis ſoboleſcit mordax & effrænis humor, qui in inteſtina delatus, morſu primùm excruciat, hinc utilem & partibus inductam uliginem abſumit, tùm propriam abradit inteſtini ſubſtantiam, quam altiùs infixus tandem exulcerat.

III.

MAGNVS ſanè morbus & ob publicæ functionis læſionem & ob ſymptomatum ſævitiam. Ille ad nocendum paratas comites adſciſcit febrem, vigilias, ſitim, anorexiam; in primis verò aſſiduis doloribus ægrotantem conficit. indeſinens fermè adeſt deſidendi cupiditas. quod egeritur paucum eſt, tenue, mucoſum, graveolens, cruore, ramentis, ſanie nonnunquam & ca-

runculis immixtum. Interim humor ille, ſeu bilioſus fuerit ſeu ſuccus ater ex inflammatâ fæce ſanguinis expreſſus, agit cuniculos, tenuibuſque inteſtinis ſi inhæſit, dolor perſentitur acutiſſimus & punctorius, ſanguis & ramenta per longioris viæ tractum fæcibus exquiſitè permixta profluunt, aliquo poſt mitigata tormina tempore. Craſſis multò placatiorem ſe præbet dolore non ita vehementi minùſque diuturno, cruor purulentaque materies ob itineris brevitatem alvi excrementis ſupernatant, aut non omninò permixta apparent, atque conjunctiora ipſi dejectioni tormina ſunt. Perículoſior morbus cenſetur quem fecit aëris corruptela, vel ſumma atque maligna Cacochymia, & partis cujuſdam principis Dyſcraſia fovet. Certum diſcrimen minantur vigiliæ immodicæ, cibi faſtidium, ſitis intenſa, ſingultus, vomitus bilioſi jecoris ac præcordiorum dolor, dejectiones ſynceræ, nigricantes & caruncculis permixtæ. Spem præbent virium appetituſque conſtantia, ſitis minor, apyrexia, ſymptomatum imminutio, dejectiones ſuo ſero dilutæ, nulliſque aut paucioribus intertrimentis permixtæ, miteſcentia nonnihil tormina, alvus aliquantulùm coërcita.

I V.

ARTES quæris quibus ægrotantem periculo eximas; nocendi materiam morbo ſubſtrahe. Sed cave ne dolorem, vigilias, ſpirituum unà cum tetris humoribus effluvium, quibus præſertim hoſtis iſte graſſatur, adaugeas; præſertim verò audacis Themiſonis conſilium omneque adeò ὀδυνηρὸν βοήθημα perhorreſcens placidè ſimul & viriliter dimicato. Propterea exquiſitam inſtitue victus legem, quæ tenuiſſima ſit & refrigerans. In hordeatis & juſculis plurimus eſto. Vino ut veneno interdicito. Sacra affectus iſtius anchora ſicut & cæterarum inflammationum, ſeu foris ſeu intùs ſæviant, tutiſſimaque ſit tibi venæ ſectio. Febrem extinguit illa, phlegmonem ſedat, ruentis humoris impetum ſiſtit ac revellit, ejuſdem delinit acrimoniam, doloreſque demulcet. Repetenda plenius crebrius pro jugi phlegmone & rheumate, ſymptomatum pervicaciâ, morbi magnitudine, viribus ægrotantis. Clyſteres anodyni & refrigerantes ſæpiùs injiciendi. Vomitus conferret ſi exortus ſpontè, vel ἐν καιρῷ mitioribus quibuſdam promoveretur, modò æger εὐέμης foret latiorique pectore: Verùm ejuſmodi evacuatio quæ nimioplus exagitat fugienda, quam præterea dehortatur ſumma virium in Dyſentericis profligatio. Tepentis aquæ balneo dolor lenitur quidem, & ſanguinis miteſcit æſtus: ſed concitatâ ad partem affectam, novâ fluxione utcunque ſopiti affectus rursùm excitantur. Adſtringentia initiis ἄνω καὶ κάτω adhibita effrænis profluvij curſum ſiſtere creduntur, quem recurſus putrentis Cacochymiæ confeſtim malignior excipit. Nec minùs nocent urinas moventia; nam quò natura vergit, ſi per

vias commodas ſuam excretionem moliatur, eò ducere oportet. Tempore porrò convenienti idoneâ medicamentorum miſcellâ attemperandus ſimul eſt atque vacuandus humor. Id apprimè præſtabunt Hypnotica purgantibus admixta, quæ furenti bili injicient frænos, lareſque ac fomitem putredinis ſenſim exhaurient.

V.

HYPNOTICA etiamſi γλυκερὸν καὶ ἐγέρσιμον ſomnum inducerent, non tàm morbum quàm illius ſenſum adimunt. Cathartica verò morbum palam & validè adoriuntur, & cauſas illius evertunt, ſed Cadmæâ plerumque & non lætabili victoriâ, dum febriles faces agitatione magis ac magis accendunt, dolorem & vigilias adauctis irritatę jam ſatis naturę ſtimulis ingeminant, & malè concitatos humores in præceps impellunt. Omninò neutrum ſeorſim ſatis tutum aut validum præſidij genus. Vtrumque optimum & ſalutare, ſi permixtę vires laudabili temperie coaleſcant, & in integrum morbi ipſius ſimul ac ſymptomatum excidium amicè conjurent. Scilicet Hypnotica cruciantis humoris ſi placare feritatem penitùs non valent, noxiam tamen in ſenſoriis alterationem percipi non patientur, conceſſo ſoporis vel ſtuporis gratiſſimo & plurimùm expetendo munere, interim dùm Cathartica humores caſtigatione licèt exacerbatos, ſed incaſſum in ſopitam facultatem ſævientes ejicient è corpore. Atque id ne ſeveriore fiat quàm par eſt objurgatione, atque adeò effrænatâ vi ejus præſidij quod corpus non minùs quàm purgandos humores calefacere, attenuare, ac ſolvere natum eſt, tardam placiditatis ſuæ Hypnotica levitatem inſpirabunt, ac viciſſim infenſam calori nativo ipſius Hypnotici pigritiem nocere non ſinent permixtæ Catharticorum vires.

Sunt igitur in Dyſententerico Affectu Hypnotica Catharticis admiſcenda.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Carolus Patin.	*M. Alanus Lamy.*	*M. Florimundus Langlois.*
M. Philippus Chartier, Medicus & Profeſſor Regius.	*M. Claudius Quartier.*	*M. Claudius le Vaſſeur.*
M. Franciſcus de la Chambre, Medicus Regis Ordinarius.	*M. Franciſcus Landrieu, Chirurgiæ Profeſſor.*	*M. Dionyſ. Ioncquet, Horti Regij Profeſſor Botanicus.*

Proponebat Lutetiæ DOMINICVS DE FARCY, Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LXVII.

Ex Typographia FRANCISCI MUGUET, Regis ac Illuſtriſs. Archiepiſcopi Pariſ. Typographi.